

alius quilibet fidejussoris heres solvere compelleretur, & insuper in genere obtineat, quod confusio obligationum non inducatur, si inde damnum sensurus sit Creditor, neque enim ratio juris, quæ causam fidejussionis propter principalem obligationem, quæ major fuit, exclusit, damno debet afficere creditorem, qui sibi diligenter prospexerat. *l. 3. pr. ff. d. separat.* non tamen mens atque intentio Juliani in *d. l.* fuit hanc questionem movere atque decidere, sed potius disquirere, utrum heres reus exceptionem soli fidejussori competentem stipulatori opponere posset nec ne? ratio dubitandi erat, quia reus successit in locum fidejussoris, ejusque personam representat, ideo videbatur, quod exceptiones ex ejus persona tanquam antecessoris sui competentes stipulatori obiicere posset: ratio autem decidendi fuit ex præcedentibus, quod nimirum fidejussoria obligatio per principalem sit extincta, & cum ea omnes exceptiones, quæ intuitu illius competebant Bachov. *in not. ad Trentl. vol. 2. disp. 28. thes. 7. lit. c.*

LIII.

Illam tamen generalis regula præcedente thes. de concursu & confusione obligationis principalis & accessoriæ tradita limitationem recipit, si fidejussoria obligatio principali sit plenior. *l. 21. §. 2. ff. de fidejuss.* veluti si fidejussor successerit ei, qui naturaliter tantum obligatus est, tunc enim in statu suo manet. *d. l. 21. §. 2. l. 95. §. 3. ff. d. solut.* quem text. recte videtur emendare Cujacius *lib. 11. observ. c. 34.* per ea, quæ tradit Zanger. *d. l. n. 17. 18. & 19.* Bachov. *d. l.* Add. Carpz. *I. F. p. 2. C. 18. def. 13.* Non enim potest dici hoc casu, quod principalis sit major, cum non sit civilis, civile autem vinculum semper majus est naturali, cum ex eo agi possit, non ex naturali. Cujac. *ad d. l. 21. §. 1. ff. d. Fidejussor. p. m. 371.* quod si tamen principalis obligatio utroque & naturali & civili subnixa sit vinculo, possit autem per restitutionem in integrum infirmari, non tamen eo magis fidejussoria obligatio retinetur, adeoque fidejussor debitori succedens intra constitutum tempus auxilium restitutionis in integrum implorare non prohibetur. *d. l. 95. §. 3. in fin.*
quod